

1296 Qui si quis quærat ære paratus erat.  
 Et quæ revera tam grandia contrahat æra,  
 In qua rex jacuit tomba levata fuit.  
 Et sic pendebat, quod vis lapidum facebat.  
 Ergo rudes populi prodigium tumuli  
 Postquam viderunt, rem pro signo tenuerunt  
 Credentes miseri per Mahumet fieri.

A Pendere res plena quod pendeat absque catena,  
 Nec sic pendiculum quod teneat tumulum.  
 Hæc ubi viderunt stulti, Mahumet coluerunt,  
 Gente quod in Lybica fecerat ars magica.  
 Hactenus errorum quia causas diximus horum,  
 Musa manum teneat, et Mahumet pereat.

## VEN. HILDEBERTI

LIBER DICTUS

### MATHEMATICUS.

(E ms. codice 500 ad minus ann. Elnonensis olim monasterii, seu S. Amandi in Pabula, nunc bibliothecæ Regiæ, sub n. 274, qui solus inter mss. hoc habet poema, quod immediate subsequitur historiam Mahumetis.)

#### BREVE MONITUM.

Cum Hildebertus, auctor hujus historiæ, nullam cui conveniat, personam nominet, nec cuiquam Romanorum procerum conveniat, lectis ipsorum historiis, detegere potuerimus, nil aliud suspicari potuimus, quam ejus fuisse gratuitum commentum ad exercitationem academicam confictum, in derisum astrologiæ, ut vocant, judiciariæ, a qua forte sui temporis homines plus æquo deditos avertere voluit. Tantam porro narratio hæc cum OEdipi fabula videtur affinitatem habere, ut nisi tam expresse Hildebertus Romam nominasset, illam ipsam OEdipi fabulam censeremus: sane nihil propius ad ejus imitationem accedit. Cæterum inde sagax lector advertere poterit, non tantum rhythmicis carminibus Hildebertum præstasse, sed cum illi a rhythmorum angustia evadere datum est, versibus omnia generis apprime versatum fuisse. Illud igitur poema e manuscripto Elnonensi annorum ad minus quingentorum ætate, et historiæ Mahumetis immediate subjunctum, publica luce non indignum duximus.

#### CANTUS PRIMUS.

Semper ut ex aliqua felices parte querantur  
 Leges humanæ conditionis habent.  
 Miles erat Romæ probus armis, rebus abundans,  
 Urbe potens, felix conjuge, clarus avis.  
 Voce, manu, facie, facundus, largus, honestus,  
 Vir sapiens stabilis tempore, mente, fide.  
 Sponsa viro, non stirpe minor, non moribus impar,  
 Non ævo senior, dissimilisve fide.  
 Prompta, modesta, timens, non ut solet esse fre-  
 [quenter

Imperiosa suo femina pulchra viro.  
 Luxus opum nocuos quamvis declivis ad actus,  
 Non fecit mores degenerare bonos.  
 Cum soleat levitas juvenilibus esse sub annis,  
 Non leve gessit opus femina pulchra, potens.  
 Casta, decora fuit, quæ virtus rara venustis  
 In fragili sexu rarior esse solet.  
 Femineæ vitium naturæ, mobilitatem  
 Cavit, et ingenitæ crimina nequitie.  
 Affectusque leves quadam sub mole refluxit,  
 Et potuit sexus inmemor esse sui.  
 Sic igitur proba, juncta viro]formosa decoro,  
 Callida sensato, religiosa pio.  
 Sors arrisit eis, favit natura; beati  
 Omnibus, excepto munere prolis, erant.

B Perfecti minus hoc uno, si prole carere  
 Est a perfecta prosperitate minus.  
 Spes igitur sobolis multos damnata per annos  
 Cætera naturæ dona placere vetat  
 Successus alios, alios obscurat honores,  
 Fortunamque facit omnibus esse ream.  
 Flentque dolentque magis, nec enim natura repugnat,  
 Nec gravitas cui languidioris [f. languidior vis]  
 [obest.  
 1297 Nec senis hæc gelidos causari conjugis  
 [annos,

Ille nec uxoris frigida membra potest.  
 Etati confusa suæ superumque favori,  
 Spem gerit in voto femina sola suo.  
 Spemque super dubiam fati quid volverat ordo,  
 C Certior esse volens consulit astrologum,  
 Qui poterat stellis superum dependere curas,  
 Parcarum mentem consiliumque Jovis,  
 Naturæ causas secretaque scire latentes  
 Et quæ fata, quibus legibus ire velint.  
 Ille mathematicæ studiis exercitus artis  
 Portendat numeros, astra movent numeri;  
 Exquiratque vagos numeri ratione planetas,  
 Quorum sollicite puncta gradusque notat.  
 Et qua consultæ momentum colligit horæ,  
 Et perpendit in his esse, modumque rei.

Est, ait, en video, tibi filius; ecce maritus  
 Implebit steriles fertilitate sinus.  
 Et Paridem geret in facie, geret intus Achillem,  
 Nec probitas fastum, nec sibi forma dabunt.  
 Pauperior Cræsus, minus illo doctus Ulysses.  
 Frena dabit ratio rebus et ingenio.  
 Inter felicis fatalia comoda vitæ  
 Romulæ dominus et pater urbis erit.  
 Patrem, sed taceo, nisi quod premis, arguis, instas  
 Occidet, fato sic agitante, suum.  
 Sic erit, adde fidem; Jovis est sic fixa voluntas.  
 Quidquid præcinui nil habet ambigui.  
 Fata tibi spondent, di spondent, sidera spondent;  
 Res rata quam spondent sidera, fata, dii.

## CANTUS II.

Gaudeat his fatis, doleatve revertitur anceps  
 Femina cœlestis conscia consilii,  
 Roma, tibi regem, mortem paritura marito.  
 Tristitiam gaudens, gaudia tristis habet  
 Sollicitam sensit vigili marcescere cura  
 Vir suus, et causas hic rogat, illa docet.  
 Audit, et attenta tristisque recolligit aure  
 Miles fata suæ prodigiosa necia.  
 Hoc, ait, in voto superos piget esse secundos;  
 Inde mihi malus est Jupiter, inde bonus;  
 Quæsi vi sobolem, datus est mihi filius hostis,  
 Damna fero voti prosperitate mei.  
 Unde precor, meus, uxor, amor, mea sola volu-

[ptas,

Altera pars animæ dimidiumque meæ,  
 Cum fuerit soboles genio concepta sinistro,  
 Et tua maturum fuderit alvus onus,  
 Affectus oblita pios, oblitaque matrem,  
 Ne dubites puerum mortificare tuum.  
 Si patiaris eum superesse, mihi morituro  
 Hæc pietas species impietatis erit.  
 Finierat, flere simul, mora nulla, sequenti,  
 Nocte jacent pariter, concipit, tumet,  
 Maternos menses naturæ legibus implens  
 Edidit ad numeri tempora certa sui.  
 In nascente fuit tantæ deitatis imago;  
 Vix potuit credi materialis homo.  
 Nupta virum, mater puerum dum diligit, hæret,  
 Et dubitat puero parcere, sive viro.  
 Formosus nireusque puer se cogit amari,  
 Et matrem mollit, et vetat esse feram.  
 Pulcher et iratæ visus videre parenti,  
 Oranti similis, ne moreretur, erat.

Ad speciem periere preces, discussit amatum  
 Formosæ sobolis gratia mente virum.  
 Quæ nunc esse suæ soboli Medæparabat.  
 Cœpit maternus scire quid esset amor.  
 1398 Parcit ei pietate ferox, majoraque vitæ  
 Tempora dat nato, dum breviora viro.  
 Et mentita necem procul inde remittit alendum,  
 Et tacita miserum decipit arte patrem

## CANTUS III.

Exsilio felix puer est, alienaque lactens  
 Ubera, nutritur sedulitate pia.

A Crevit honor formæ, cum floridæ cresceret ætas;  
 Laudari potuit tantus ab hoste decor.  
 Nomen in ambiguo, sed patricida vocatur,  
 Imperat arcana calliditate parens,  
 Ut juvenis tantumque nefas, tantumque furorem  
 Horreat, audito nomine sæpe suo.  
 Ut rudis accepit primos infantia sensus,  
 Traxit et interior vim rationis homo.  
 Emicuit tam mente capax, velut esset adultus,  
 Maturus pleni temporis usque dies,  
 Ascendensque gradum docilis promptæque juventa  
 Philosophis studuit proximus esse comes;  
 Novit enim quam sideribus, quam primitus orbi  
 Sementem dederit materiamque Deus.  
 Quæ fuit in rebus ratio, quæ causa creandis;  
 Quos habent nexus, quæ elementa vices.  
 B Et numeri quo fonte fluant, quæ lege ligentur,  
 Quo sibi convenient schemate dispositi.  
 Musica quo numero, vel quæ sibi proximitate  
 Dissimiles jungat consocietque sonos.  
 Astra quibus spatiis distent septena planetæ,  
 Mensus utroque polos, mensus utrumque mare;  
 Astrorumque vias, humanaque fata sub astris  
 Et fesso cœlos Hercule sustinuit.  
 Rhetoricosque volens non ignorare colores,  
 Succincte didicit perspicueque loqui.  
 Naturas generum lima graviore revolvens,  
 Pectore divinum clausit Aristotelem.  
 Et quicumque potest humana lecessere membra,  
 Aut dolor, aut morbus, pellere novit eum.  
 Sic fecit pectusque capax, mentemque profundam  
 C Amplum septenis artibus hospitium.  
 In Venerem suspecta quies, vitis que propinqua  
 Otia jam juveni causa timoris erant.  
 Tranquillosque timens lascivi temporis annos  
 Transit ad armatæ pondera militiæ.  
 Institit assiduis bellis meruitque favorem,  
 Armaque successu non caruere suo.  
 Cæsareos titulos transgressus, et Herculis actus,  
 Unica Romulæ gloria gentis erat.  
 Quem probitas adeo virtusque levavit in altum,  
 Esset ut Ausonii signifer imperii.  
 Sed super orbis opes supremæque culmina rerum  
 Certat vis superum ponere posse virum.  
 Pugnat ad hoc Lachesis, super hoc fortuna laborat,  
 Comprobat hic vires Jupiter ipse suas.  
 D Et quia sic fieri fatalis postulat ordo,  
 Hanc sibi regnandi fata dedere viam.

## CANTUS IV.

Æmma Romani Carthago nominis, arma  
 Forte sub Ausoniis snibus intulerat.  
 Ergo movent Aquilas infausta que signa Quirites,  
 Conscriptosque patres hora sinistra trahit.  
 Occultarat enim sub opacis navibus agmen  
 Pœnus, in excidium, regia Roma, tuum.  
 Sic super insidias inopinæque tela senatus  
 Incidit, et potuit tunc sine Marte capi.  
 Rex captivatur, captivaturque Iribonus,  
 Nec depressa potest turba referre pedem.

1399 Ducuntur gentes Æneadam, Latineque po- A  
[testas

Gentis, et Albanæ nobilitatis honor.  
Non alibi potuit melius cognoscere Roma  
Quod dubias dubius mundus haberet opas.  
At patricidam cum signifera legione  
Ducebat melior sors meliore via.  
Qui procul aspecto confusi pulvere belli,  
Protinus intendit succubuisse suos.  
Occurrens igitur venientem prævenit hostem,  
Objectoque sibi milite claudit iter ;  
Hostilesque globos fatis melioribus intrans  
Devincit Pœnôs, protegit Ausonios.  
Ridiculos hominum versat sors cæca labores,  
Sæcula nostra jocus ludibriumque diis.  
Conversis vicibus jacet Africa, Roma triumphat,  
Victores dictos extimuerunt suos.  
Et tanquam timeat Romam sacer ordo deorum,  
Protinus et celeri damna levavit ope.  
Sic igitur potuit veniam fortuna mereri,  
Dum dedit eventus post mala fata bonos  
Sors audita mali luctus confecerat urbem,  
Magnaque majoris damna pudoris erant  
Læta superveniens præmisso fama dolori  
Ex ipsis potuit gratior esse malis.  
Primum narratur qua valle quibusve latebris  
Pœnorum steterat insidiosa cohors,  
Et quantus Latio belli cæcaverat ardor,  
Ne tacitos possent ante videre dolos.  
Qualiter augustos Romanaque viscera Patres  
Traserat in laqueos Africa dira suos.  
Quam parva patricida manu contriverit hostes,  
Et tibi, Roma, tuos reddiderit populos.  
Sic patricida suis formosus et inclytus actis  
Creber et in vulgi plurimus ore sonat.

## CANTUS V.

Rex ubi collegit quas fert victoria prædas,  
(Nam lucri dominus, non tamen auctor erat)  
Romam vertit iter, Patribusque legenda verandis  
Littera dirigitur, littera talis erat :  
Ut sibi pro victa Carthagine debita laurus,  
Et meritis Latio more daretur honor.  
Romani super his bene quid statuatur, acuto  
Consilio versant, exagitantque diu.  
Undique pensatis rationis acumine rebus  
Nil meriti factis regis inesse vident  
Qui male fuscata Romani laude decorus,  
Victus et in bello præda fuisset iners.  
Neve tamen posset turpi doluisse repulsa,  
Nam male contemptum fert gravis ira ducum,  
Pagina signatur, cujus dare sive negare  
Ambiguus sensus significare queat.  
Nullius obsistit meritis, servire parata  
Semper victori regia Roma suo.  
Nam cui laurigeros meruit victoria currus,  
Non illi meritos Roma rogabit eos ;  
Qui populos vicit Carthaginiæ, ille, fatemur,  
Ille triumphales scandere debet equos.  
Spem mentita bonam fallaci littera vultu

In primis potuit lætoscare ducem.  
Mox ubi consuluit mentem, totumque cucurrit,  
Et tulit ad sensum singula verba suum.  
Sicut homo discretus erat, non motus in iram.  
Ambagem dubiæ sentio vocis, ait.  
Ergo patricidam (nec enim laudes alienas  
Regia mens ægre sustinet) alloquitur :  
O juvenis, quem si quis inest vigor insitus astris,  
Nascentem vidit sideris hora boni,  
Cui fortuna favens, ne postmodo cæca vocatur,  
1300 Excussit vitii crimen onusque sul.  
In cujus facie naturæ cuncta potentis  
Argumenta patent, laus tua forma deæ.  
Per quem (nec pudor est) ereptus ab hoste revertor,  
Redditus uxori, deliciisque meis.  
B Ecce dies, qui proveniens ex ordine fati  
Reddet virtuti præmia digna tuæ.  
Sceptra tuas, fateor, meruit labor, accipe sceptra,  
Et meritum regimen urbis et orbis habe  
Vicisti Pœnos, et quos tibi Roma paravit  
Curribus et pompis utere pace mea.  
Juste Roma videt, servataque linea recti  
Est in contemptu plus mihi grata meo.  
Nec meus iste potest pudor aut injuria dici.  
Justitiæ potius nomen habere potest.  
Ergo nec invideo, venturi præscia laurus  
Crinibus accedet digna corona tuis.  
Ergo nec invideo, curru fulgente veheris,  
Lætaque Roma tuum nomen ad astra feret.  
Grande voco meritum quem dat tibi Roma triumphum.  
Quod tibi munus grandius esse puto.  
C Romanis aliisque meis te præfera regis,  
Estque fretum munus lætaque terra meum.  
Obstupuit juvenis, et (quæ rarissima virtus)  
De sibi collato tristis honore fuit.  
Dum parere negat, venientes ordine pompas  
Aspiciunt illinc vulgus, et inde Patres :  
Rex capitis diadema sui, licet ipse repugnet,  
Collocat in juvenis vertice, sceptra manu.  
Sic tectum trabea, sic omnia regis habentem  
Obtulit oblatum, Roma recepit eum,  
Et niveos super altus equos, plaudente senatu,  
Ad Capitolium ducitur usque Jovem.

## CANTUS VI.

Audierat, nec enim gestorum deficit [f. defuit] index,  
Imperium nati mater amica sui.  
D Movit ad hoc pietas, amor et natura parentem,  
Læticia potuit pene perire sua.  
In lacrymas tamen erumpunt pie gaudia matris,  
Quas dolor et potius damna parare solent.  
Ut satis applausit cognato mater honori,  
Legitimo risus sine repressa suos  
Pectoris arcanum velut in penetralis receptum,  
Et silet, et quid agat consulit ingenium.  
Astrologi super augurio; super ordine facti  
Obstupet, et stellis sensit adesse fidem.  
Jam de præterito trahit argumenta tuturi,  
Cætera prædicto credit itura modo.  
Ergo re faciente fidem pro morte mariti,

Cogitur ad veros sponsa venire metus.  
 At sobolis decus aspiciens, obitumque mariti,  
 Læta per alternas sitque molesta vices.  
 Quando virum, vel dulce viri quodcumque fuisset  
 Præsens ante suæ lumina mentis habet.  
 Pectora jucundis successibus exhilarata  
 Vindicat hospitium cura dolorque sibi.  
 Cum patricida redit, qualem quantumque videri  
 Dat maternus amor, non habet ira locum.  
 Cumque subit socialis amor fœdusque mariti,  
 Integritas vitæ, nec violata fides.  
 Non peperisse velit; natus natiq̄ue potestas  
 Displicet, et prorsus desinit esse parens.  
 Interdum mitescit atrox, blandamque parentem  
 Induit, et vincit filius ipse virum.  
 Alternis dolet et gaudet, misereque beata  
 Ponderat ad casus dulcia fata malos.  
 Anxia distrahitur, dubioque miserrima voto  
 1302 Fluctuat, et bellum mater et uxor agit.  
 Si queat æterno Parcas prævertere cursu,  
 Vellet pro domino fata subire suo.  
 Sed tristis Lachesis, sed inexorabile fatum  
 Non nisi præscriptas vis habet ire vias,  
 Vir suus interea curis superoccupat ægram,  
 Tumque super latis pervigil ejus erat.  
 Intuitoque viro cujus prope fata videbat,  
 Ingemit affectu vera Sabina pio.  
 Compressæque diu tandem velut agmine facto  
 Discursu lacrymæ liberiore fluunt.  
 Obrigit dominus lacrymis violentius ortis,  
 Nescio quid tanti sensit inesse mali.  
 Currit in amplexus, et dulciter oscula charæ  
 Conjugis irrumpit, et rogat unde dolet.  
 Cui tamen illa nihil promittit; importunus ad hæret,  
 Instat et incumbit, multiplicatque preces.  
 Quo plus mœsta silet, potuit suspectius esse  
 Quod dubitat tanta sub gravitate loqui.  
 Quærit perque fidem thalamique sacros hymenæos  
 Quis, quibus ex causis fluxerit iste dolor.  
 Si res consilii tutas descendet in aures,  
 Si scelus: hoc poterit scire maritus amans.

## CANTUS VII.

Lege tori thalamique fide compulsæ fateri,  
 Quæ melius poterant utiliusque legi.  
 Est, ait, unde querer de te, natura creatrix,  
 Quæ nihil ad summam perficis usque manum.  
 Multa licet dederis, minus est quod femina nascor,  
 Defecitque tuus hæc mihi parte favor.  
 Ia meus est sexus qui detestatur honestum,  
 Qui quidquid scelus est vindicat esse suum.  
 Si liceat superis genus evertatur iniquum  
 Femina; vivat homo jam suus orbe suo.  
 Aura nocens, maris unda tumens, irataque pugna  
 Non necat ad numerum, femina dira, tuum.  
 Planta vel arbor habet quibus extendatur in ævum  
 Semina; perpetuum servat utraque genus,  
 Femina non aliter radicem criminis in se,  
 Sementemque mali, materiamque tenet.

- A Tempora si redeant antiquæ simplicitatis,  
 Argutique cadat spiritus ingenti,  
 Femina sufficiet artes reparare nocendi  
 Perfidieque novum forsitan addet opus,  
 Tempore mitescunt posita feritate leones,  
 Tempore leniri tigris et ursa solent.  
 Fixa pedem manet ad facinus, nunquamque mali-  
 [gnam  
 Mutat naturam femina sola suam.  
 Si qua suum penitus descivit femina sexum,  
 Plus niveo corvo prodigiosa fuit.  
 Sed quid naturæ vitio, vel quid genuinis  
 Moribus ascribo criminis hujus onus?  
 Quod mala, quod nequam, quod atrox, quod per-  
 [dita feci,
- B Ad sexum refero turpiter ipsa meum.  
 Nam bene causa nitet, qua se mea culpa coloret,  
 Seque meum facinus non habet unde legat.  
 O conjux decepte diu! tibi creditur uxor,  
 Quæ tibi non uxor, sed magis hostis erat.  
 Forsitan obsequiis et blanda sedulitate  
 Credebas animum promeruisse meum.  
 A primis cui gradibus tuus unicus ardor  
 Unicus affectus, unica cura fui.  
 Si benefacta tuis male respondentia votis  
 Æqualis meriti non habuere vices,  
 Obsequium damnis, odiis pensamus amorem,  
 Opprobrio laudem, prodigioque fidem.  
 1302 Quære, marite, novum pœnæ genus, exime  
 [ferrum,  
 Viscera funde sole, distrahe membra rotæ.
- C Hi ego digna malis, quæ judicio Rhadamanti  
 Tartarea patitur noxia turba domo.  
 Sed quia suspensus dubio sermone teneris,  
 Accipe quo tendant, quid mea verba velint.  
 Olim, si memoras, peperit quem sidera regem,  
 Spondebantque senis sceptrâ tenere Numæ;  
 Spondebant, (sed flere magis, quam dicere fas est)  
 Proh dolor! auctorem funeris esse tui.  
 Territus augurio, contra sua viscera matrem  
 Præcipis armari, progeniemque premi.  
 Sed natura minis monituque potentior omni  
 Non potuit partes destituisse suas.  
 Mentior, extinctum credis, temerarie credis,  
 Sed puer alterius lactis habebat opem.  
 Sic igitur culpamve velis, facinusque vocari,
- D Nunc illi puero vivitur ista dies.  
 Filius ille tuus, cujus rationis acumen,  
 Actus mirari, vera probare soles.  
 Filius ille tuus, quem prædicat orbis et omnis  
 Quæ sub septeno climate terra jacet.  
 Filius ille tuus, de quo quoque livor et hostis,  
 De quo mentiri fama vel ipsa limet.  
 Filius ille tuus; cujus Carthago triumphos  
 Nec gens Annibalis erubuisse potest.  
 Filius ille tuus, quem regni sede locatum  
 Cernis honorata sceptrâ tenere manu:  
 Verba mathematici, nisi quod tua fata supersunt,  
 Omnia de certo [decreto] sine peracta vides.

Currentesque suo fataliter ordine stellæ  
Et tua delixo fata tenere trahent.

## CANTUS VIII.

Vir stupuit, potuitque diu non credere rebus [f. ver-  
(bis,

Eventus quarum [f. quorum] prodigiosus erat.  
Sollicitus longumque silens, se pectore toto  
Contulit ad mentis interiora suæ.  
Provida consulitur ratio, vigilatque receptus  
Intus apud sese totus et omnis homo.  
Singula discutiens gaudendum sensit, et ipsam  
Perniciem proprii cœpit amare mali.  
Ergo decus generis, et honores concipit altos,  
Contemptorque suæ perditionis ait :  
Chara comes mihi sanctus amor, mihi gratia concors, B  
Parce queri, lacrymas comprime, pone metus.  
Non vitio tua facta dedi, pulchrisque marito  
Fraudibus, et pulchra prodicione places.  
Non sub iudicibus timeas adducta severis,  
Tam sincera tuum causa tuetur opus.  
Ipsa licet sileas pro te natura loquetur,  
Sunt oratores jusque piæque tui.  
Non tibi rhetoricos opus induxisse colores  
Ad legimen causæ non leve robur habes.  
Mater eras, maternus amor pietasque coegit,  
Medæamque fugis, æmula Penelopes.  
Jure timere queam quæ pignora mortificasses,  
Has etiam promptas in mea fata manus.  
Sed redimendus erat dominator et urbis et orbis  
Unius ex facili perditione senis.  
Ut vetus arbor ego, cujus de stirpe renascens  
Virgula servatur, ipsa recisa perit.  
Virga suam matrem longum distendit in ævum,  
Perpetuatque meus filius esse meum.  
Mira quidem novitas, lætus dolor, utile damnum.  
Quæ duo fortunæ cernis inesse meæ.  
1302 Obsequium fortuna putat præstasse duobus  
Surgat ut ex nostro semine sceptræ tegens.  
Non decet ingratos divini muneris esse,  
Taegit munificos mens hilarata deos.  
Non veniunt homini nisi magno magna labore,  
Partaque flegreo sidera Marte Jovi.  
Ut merear regisque pater dominusque vocari,  
Morle mea tanti nomen honoris emo,  
Sed moriens ego non moriar, totusque superstes  
Totus et in tali prole renatus ero.  
Quod de fatali descendit origine rerum  
Ne dicas fieri fraude vel arte tua.  
Fatum me perimit, fatum servavit eundem  
Quem servasse putas ; omnia lege meant.  
Dum patitur Lachesis jam jamque minantia rumpi  
Nostra fatigato pollice fila trahit.  
Præsentem placet affari, propiusque videre  
Quem superi rerum constituere caput.  
Si semel amplexus jungam semel oscula nato.  
Sufficiet vitæ terminus ille meæ.  
Lætior Eliseus veniam, gentesque sepultas  
Et chaos et Stygii pallida regna Jovis.

## A CANTUS IX.

Ergo palatinas Tarpeii culminis arces  
Per circumflexos scandit uterque gradus.  
Illic cum Patribus residens patricida verendis  
In commune suæ consulit urbis opus.  
Ne pereant leges, ne decadat ordo senatus,  
Romæ majestas, imperiique decor.  
Ingressi, splendore domus potuere teneri  
Si minor aut levior causa dedisset iter.  
Ad regem graviter summisque laboribus itur,  
(Nam circumstantum densius agmen erat.)  
Ut plebis rapuere globos penetratur ad ipsas  
Præmatur cathedras, imperiique thronum.  
Matris ad occursum, nec enim pater agnitus illi,  
Consurgit solio rex patricida suo.  
Imperii fastu vel majestate rejecta  
Totus maternis subditur obsequiis.  
Subsequitur, blandaque manu comportat euntem,  
Mitius alloquitur, blandius audit eam.  
Naturæque suæ non immemor æqua potestas  
Personam servæ conditionis agit.  
Cui genitrix : Concede loco, matrique benignus  
Condescende tuæ, dicere pauca velim.  
Redde parum te, nate, mihi, frustrare [at. furare]  
[labori

Te quandoque gravi, jura senatus agat.  
Cura tuæ mentis moderando debita mundo  
Ex aliqua saltem parte remittat onus.  
Roma sibi vigilet propriis quoque viribus usa  
Interdum discat rege carere suo  
C Hoc precor, hoc jubeo, regem precor, impero nato :  
Jus habet in partus mater amica suos.  
Declines igitur turbam, turbæque tumultus :  
Non bene consilium ducitur in medium.  
Alta volunt propria sub majestate latere,  
Nec tuto veniunt ad populare palam.

## CANTUS X.

Ergo divertunt ubi longa pace silebat,  
Deditus arcanis consilioque locus.  
Quod sancitur ibi tacitum, sublime, profundum,  
Auribus eripitur, fama maligna, tuis.  
Rex regnum tantumque locus privata senatus  
Audit, et æterna nocte sepulta premit.  
Sedit uterque parens, et filius inter utrumque ;  
1304 Dicenda primum femina fecit iter :  
Fili, cujus opes, sapientia, forma, potestas  
D Sunt mihi sidereis significata notis,  
Dum recolo meritumque tuum, vitæque nitorem,  
Gaudeo, nate, tibi, gaudeo, nate, mihi.  
Si qua parte mihi posset subrepere fastus,  
Nempe futura fui laude superba tua.  
Per te Romulidas libertas prisca revisit  
Ausa suum terris exeruisse caput.  
Olim decretis æterni legibus ævi  
Debitus in regimen temporis hujus eras.  
Nostraque justificas, priscamque reducis in aurum  
Sæcula, nec ferri nomen habere sinis.  
Naturæ perlonga manus se contulit orbi,  
Et dedit in solo munere cuncta simul ;

Utiliusque nihil in postera secula reservans  
 Prodigia donatrix pene remansit inops.  
 Jam neque miretur censorem Justinianum,  
 Jam neque se jactet Roma Catone suo.  
 Si populus felix augustos vixit in annos,  
 Nostra nec inferius tempora numen habent.  
 Dictus eras sensu Græcos quoque vincere, vincis ;  
 Marte valere, vales ; sceptrum tenere, tenes.  
 Sed quamvis sublime caput sub sidera condas,  
 Rex super humanum dispositoque genus,  
 Unum deerat adhuc, non nosse tuum genitorem  
 Ad solide plenas prosperitatis opes.  
 Sed votis astricta tuis fortuna laborat,  
 Ut tua sit nulla gloria parte minor.  
 Iste pater, pater iste tuus, cognosce, revise,  
 Quid de carne sua contulit esse tibi.  
 Filius exurgit, surgit pater, oscula jungunt,  
 Nec cohibet lacrymas iste vel iste suas.  
 Implicitis strictisque diu complexibus hærent,  
 Et cognata sacer pectora mulcet amor.

## CANTUS XI.

A I genitor vultu non exsatiatus amato  
 Hæret et in juvenem lumina fixa tenet.  
 Aspiciens igitur tantæ miracula formæ,  
 Aut stupefactus ad hæc, aut hilaratus ait :  
 Militiæ specialis honor, rationis et æqui  
 Immotus limes, perpetuusque tenor,  
 Nate, (sed usurpo nomen fortasse paternum)  
 Qui sævus pater est, desinit esse pater.  
 Nate, fatebor enim, tua te gestabat in alvo  
 Mater, eoque mori tempore jussus eras.  
 Jussus eras, jussi, perfecti roboris annos,  
 Maternosque volens anticipare dies.  
 Pœna paratur ei quem non damnaverat error,  
 Et præjudicium lingua paterna facit.  
 Ordo sed æternæ præfixaque nexio rerum  
 Humanæ vanum dissipat artis opus  
 Servaturque puer placide qui temperet orbem,  
 Romuleaque regat mœnia facta manu.  
 Si duræ feritatis homo Romana gubernet,  
 Funditus ex imo vertere cuncta queat.  
 Ne pereat mundus te simplicitatis amicum  
 Imposuit Latio provida cura Jovis.  
 Imperii gladium libertatemque nocendi  
 In placidi mutas et miserantis opus.  
 Qui Latium placidus, mentem regis imperiosus,  
 Et regis nomen rectius inde tenes.  
 Quem geris expugnas hominem, carnisque malignæ  
 Insistis motus lege tenere vagos.  
 Te cohibes, vivusque senex juvenilibus annis  
 Nec te distincte, sed sapienter agis.  
 Intra naturæ voluisti vivere fines,  
 Lora tamen freni liberioris habens,  
 1305 Nec removens, formave tumens, opibusve  
 (solutus  
 Proposita stabiles a ratione gradus.  
 Quo jura latius est, volique licentia major  
 Articulo vitam sub brevioris trahis.  
 Unde sit ut oculi curis pro parte relictis

A Pronius intendant ad tua verba dli.  
 Ipse Pater superum, quoties vel magna requirit,  
 Quamvis accelerans tardior esse timet.  
 Cum tibi multimodi daret ornamenta decoris  
 Jupiter in dando movit utrasque manus.  
 Ne quid in humanis solidum consistere rebus  
 Dicat, et opponat credere stullus homo,  
 Inter successus et gaudia prosperitatum  
 Alter et infelix angelus unus erit.  
 Fili, me perimes, immotaque pensa sororum  
 Istud ab æterno constituere scelus.  
 Olim dispositi lex et violentia fati  
 Utetur manibus in mea fata tuis.  
 Dextram non animum præbebis, nate, furori,  
 Qui tua tela regat spiritus alter erit.  
 B Vi firmamenti divinorumque supernis  
 Cursibus astrorum cogaris esse nocens.  
 Cogaris esse nocens, manifesta que culpa deorum  
 Est, ubi non possis mitior esse patri.  
 Parcarum seriesque tenax, fluxumque necesse  
 Simpliciter nostræ crimina cædis habent.  
 Tu neque, nate, nocens, nec enim reor esse nocentem  
 Qui, quia non potuit non nocuisse, nocet.  
 Non sine respectu, sine re patricida vocaris :  
 Nominis attendas significata tui.  
 Condone mea, nate, tibi, cum dicere vellet  
 Funera, vox linguam nulla secuta suam.  
 Imperfecta foret ruptæ sententia vocis,  
 Sed pia supplevit lacryma mentis opus.  
 Linquntur in lacrymas oculis super insitus humor,  
 Quasque potest pietas blanda ministrat opes.  
 C Cumque tamen scirent curas et pondera regni.  
 Arte patricidæ consilioque regi,  
 In Latii peccare bonum peccare timentes,  
 Colloquii gratas corripere moras.  
 Ergo recessuri natum super oscula lassant,  
 Alternantque vires, participantque virum.  
 Ad deliberandum complexandumque vicissim  
 Præbet ad alternos se patricida sinus.  
 Distrabitur, discedit ab hac, prensatur ab illo,  
 Et venit ad dominos publica præda duos.  
 Cernere risus erat miserosque piosque parentes,  
 Tam male vel sanctus se moderatur amor.

## CANTUS XII.

Attendens quantoque probro, quantoque pudore  
 Fata velint vitam commaculare suam,  
 D Altius ingemuit patricida, suamque relabi  
 Fortunam sensit, comminuique decus.  
 Scit fragilem rapidumque vagæ vertiginis orbem,  
 Et cæci vultus numinis ambiguos ;  
 Quodque nequit certoque gradu, fixoque tenore  
 Quanta velis mundi gloria stare diu.  
 Mœrorem post læta timens, post blanda ruinam  
 Secum sollicito pectore multa movet.  
 Fortunæ legesque graves, moresque maligni  
 Ingeminant curas, ingeniantque metum.  
 Sæpe suas metitur opes, actusque decoros  
 Colligit in numerum, cunctaque gesta probe;  
 Carthago deleta subit, regesque subacti,

Et dolet aspiciens quantus et unde cadat,  
 Longos successus, longos fortuna favores  
 Punit et incesta deteriore malo  
**1306** Morsque patris meritis et laudibus ingerit  
 [umbram,

Multiplici superest unica culpa bono.  
 Damnator chari capitis, vitæque paternæ  
 Ex rigida fati lege futurus erat.  
 Emptum morte velit, ut eodem limite posset  
 Finis principio concolor esse suo.  
 Si fas sideribus, si fas illudere Parcís,  
 Fata necemque patris præveniemus, ait.  
 Roma patricidam dici, non esse videbit,  
 Et mendax sensus nominis hujus erit.  
 Nostra quid æthereis mens est cognatior astris,  
 Si duræ Lachesis triste necesse ferat.  
 Frustra patricidam divinæ mentis habemus,  
 Si nequeat ratio nostra cavere sibi.  
 Sic elementa Deus, sic ignea sidera fecit,  
 Ut neque sideribus subditus esset homo.  
 Sic puri datur ingenii solertia major,  
 Possit ut objectis obvius ire minor.

## CANTUS XIII.

Hinc Capitolinas quibus influit Albula sedes  
 Venit, et imperii nobile pressit ebur.  
 Regali jubet edicto sibi sistat ad unum  
 Collectus populus, junctaque turba senum.  
 Jurisconsulti, prætextatique quirites,  
 Albani, Fabii, patriciumque genus,  
 Conscriptique Patres, quorum moderamine mundus  
 Stringitur, et certis cogitur ire modis.  
 Ergo nobilitas et purpura venerat omnis,  
 Multaque congestæ millia plebis erant.  
 Sic ubi dictator, jussique sedere tribuni,  
 Et cum signifero consul uterque suo.  
 Erigitur de sede throni, monstratque silendum  
 Majestate manus : denique verba facit.  
 Sanguis luleus, soboles gradiva, quirites,  
 Hinc olim vires ducitis, inde genus.  
 Noscite, nec dubios suspecta mente tenebo  
 Quid moveat vester, quid patricida velit.  
 Postulat ambiguum sublato numine munus,  
 Quidquid id est regi porrigere, Roma, tuo.  
 Non circumspæcta, neque consulta ratione,  
 Sed quasi profuse dextera larga dabit.  
 Denigrat meritum dantis mora ; factaque raptim  
 Munera, plus laudis, plusque favoris habent.  
 Per superum, per, si qua manet reverentia nostri,  
 Quidquid id est regi porrigere, Roma, tuo.  
 Porrigere, si merui, si mentis ad intima nostræ  
 Nullus, vel tenuis reperit error iter ;  
 Sincere si tota mihi mea vivitur ætas,  
 Si nihil ex mundi colluvione tuli,  
 Si qui corda solet regum et subvertere fastus,  
 Nec Venus enervem præcipitemque dedit,  
 Nulla licet morum sit mentio, nullaque vitæ  
 Quæ multos annos illabefacta manet.

(87) *Sacrifici* vox Hildebertina.

**A** Saltem blanditiæ nostræ, crebrique rogatus  
 Non poterunt populum non tetigisse piùm.  
 Non ea Romuleam premit inclementia gentem  
 Supplicis ut surda respuat aure precem.  
 Crediderim munus magna pro parte contemptum,  
 Cum color et vultus blandaque lingua rogat.  
 Turpe super donis dubitabitur inter amicos,  
 Et mora donandi non leve crimen habet  
 Occupet orantem placituri muneris actor [f. auctor],  
 Officio celeri gratia major erit.  
 Profuit et Latio noster labor, et meritorum  
 Non venit ad mores gratia surda bonos.  
 Promovi leges Latias, coluique senatum,  
 Nec meus in plebem perniciosus honor.  
 Quis Marius? quis Scylla potest? quis dicere Cæsar  
**1307** Nullus in imperio, nullaque læsa meo.  
**B** Non meruit patricida nihil Carthaginis altæ  
 Victor, et Afrarum collabefactor opum.  
 Mentitos vox nostra sibi non arrogat actus,  
 Cernite Pœnorum mœnia, fracta jacent ;  
 Fracta jacent : captosque duces, prædamque silobo,  
 Ne videar laudes concelebrare meas.  
 Per superum, per si qua manet reverentia nostri,  
 Quidquid id est regi porrigere, Roma, tuo.

## CANTUS XIV.

Dejectum vidisse ducem, misereque loquentem  
 Erubuit populus, erubuere Patres.  
 Proque bono bona fama viro meritumque perorat,  
 Nec patitur steriles principis esse preces.  
 Estque rogare ducum species violenta jubendi,  
 Et quasi nudato supplicat ense potens.  
**C** Detur, ait populus, detur sacer ordo, tribuni  
 Detur, vox cunctis unica, detur, erat.  
 Dant igitur quæcunque petat discrimine nullo,  
 Si Latiae totas postulat urbis opes.  
 Non tuus excipitur castus, Lucretia, lectus  
 Nec pyra sacrifici (87) præcipitanda Numæ.  
 Ut patricida preces exauditum videt iri,  
 Sentit et arbitrio cuncta venire suo :  
 Cujus, ait, fuerim spe muneris ambitiosus,  
 Quidve mihi dederis Romula turba vide.  
 Nil equidem cupio nostris superaddere gazis,  
 Invenit finem copia nostra suum.  
 Nec divos Latium, nec habet latissimus orbis  
 Quo queat in majus crescere noster honor.  
 Non Maronis opus, neque vivi marmoris arcem,  
**D** Sed puto quod duro possit ab hoste dari,  
 Ut liceat propriamque mihi consciscere mortem,  
 Et miseram vitæ præcipitare diem.  
 Est ea votorum species et summa meorum,  
 His pro muneribus vox mea blanda fuit.  
 Induperatorem quem tu tibi, Roma, crearas,  
 Et dederas populi publica jura tui,  
 Non nisi vel populo, vel concedente senatu,  
 Vult libertatem mortis habere suæ.  
 Munus, Roma, tuum mors est mea, nescia spectas,  
 Defenditque tuum nubilus error opus.

Simplicitas populi, pietas elusa senatus,  
 Non poterit nostri sanguinis esse rea.  
 Sed neque blanditiis me sollicitate, Quirites,  
 Neve supervacuas multiplicata preces,  
 Proposito resilire suo cæptisque moveri  
 Nostra nequit ratio, sed sibi certa manet.  
 Quæsi vi, neo ego jam non quæsisse nociva  
 Munera, nec populus non tribuisse potest.  
 Dux puram puro licuit sub corpore mentem  
 Esse, nec ad scelerum pernicioosa trahi,  
 Innocuæ placuit vitæ felicior usus.  
 Illo crimen erat tempore velle mori ;  
 Nunc quia compellor turpi sordescere culpa,  
 Abstrahor et vitæ simplicitate meæ.

*Æthereos* [/. *Æthereos*] actus animam partemque  
 (caducam,

Corpus ab alterutro dissociare licet.

Doctus et extensæ mentis famæque prioris  
 Index astrologus prodigiosa canit.  
 Dicit enim sic pensa trium fusosque sororum  
 Volvere, sic cursus sidera ferre suos,  
 Ut perimat patricida patrem, oburumque cruorem  
 Fundat, et incipiat turpiter esse nocens.  
 Sive meam vidit natalem scorpius horam,  
 Sive signiferi stella timenda senis,  
 Aut gravis alterutro Saturnius inhæserat astro,  
 Fuderat aut virus martia stella suum.

**1308** In latebras animæ gladius penetrabit adactus,  
 Profluet et vitæ maxima causa cruor.

Discutiet ferrum mentis carni que tenorem,  
 Concordesque vices, complacitamque fidem :  
 Discutiet, dico, nec enim meæ mens habitaret  
 Corpoream vitio participare [/. participante] do-  
 [mum.

Nam velut opposita contraria fronte repugnant,  
 Sic meus in vitium spiritus arma movet,  
 Et mea mens oriunda polo cognataque stellis,  
 Naturæ memor est, principii que sui ;  
 Et quia primorum puros intelligit ortus  
 Filia splendoris [*id est ratio*], noctis abhorret  
 [opus.

Noctis abhorret opus, altæque caput rationis  
 Spiritus ad carnis fluxa venire timet :  
 Nec mea sic carni mens ancillatur iniquæ,  
 Nec sic desclivit, dirigitque semel,  
 Frangat ut in natum generoso pectus honesto,  
 Vel rigidos sensus culpa resolvat iners.

Ergo dum sancto mens est in corpore sancta,  
 Nilque super carnis conditione gemit,  
 Discedat luteaque domo, carni que tenebris,  
 Vivificusque comes æthereumque jubar.  
 In terra terrena caro, mens ignis ad ignem ;  
 Ad speciem redeat portio quæque suam.  
 Corporis invisi cæcis excedere clanstris  
 Non trepidat meritis mens mea tuta suis ;  
 Carnis ab excessu superos migrabit ad axes,

(88) Sic desinit hoc poema ab ipso Hildeberto, ut videtur non absolutum, aut saltem ab amanuensi non integre transcriptum, siquidem non refert quæ tan-

A Sideris in numerum restituenda sui.  
 Juuandum felixque mori cur abnegat ? aut cur  
 Roma mihi campos invidet Elizios ?  
 Compositæ post carnis onus cognata revisam  
 Sidera, ubi vita liberiore fruens,  
 Rebus prospiciam lætus, Urbique timebo,  
 Majorisque feram sedulitatis opus.

## CANTUS XV.

Argumenta movent perplexaque verba Quirites.  
 Non data quæ dederant arte probare volunt.  
 Non decet aut decuit rigidum sanctumque senatum  
 Argumentosa calliditate loqui.

Entymema sonat, sonat hinc inductio, Varrus  
 Verba per anfractus fertque refertque vagos.

Nescio quid magnum tacite concludere tenet,  
 Et logica sensim me ratione ligat :

Sed tamen argutis non est ea lingua sophistis,  
 Ut valeant cæpto me remove meo.

Eloquitur, vultumque sui sermonis inaurat  
 Pollio, facundi pectoris arma movet.

Suadet, adornat, agit, oratoremque colorat  
 Alterat arte modos alterat arte vires.

Non ea depictæ venus [*id est venustas*] est aut gratia  
 [vocis,

Quæ mea pervertat vota, meumque mori.

Agrestis tam voce fuit, quam veste Camillus,  
 Gratus apud superos rusticitate sua.

Non pictis nugis rigidi placuere Catones ;  
 Sermo patens illis et sine veste fuit.

Agresti Latio monstravit Græcia blandum,  
 C Græcia perplexum, Græcia grande loqui.

O gravis illa dies, qua simplex et rude verum  
 Sorduit, et picti plus placuere soni !

Æquor inaccessible utinam fecisset Athenas,  
 Non foret eloqui Roma nitore nocens.

Quisve, quibusve dabit, si nostras ipsius ibit  
 Tam leve despectum Romula nostra preces ?

Qui suus illorum Dominus Latique jacentis,  
 Captivas Aquilas victor ab hoste tuli,

Æternique probri maculas et crimina tersi.

Rursus et induitur Roma decore [colore] suo,  
**1309** Si nihil Ausonios exorans purpura tangit,  
 Personæque meæ gratia surda perit.

At mecum faciunt legum decreta, meisque  
 Consensum votis littera præbet anus.

D Ex olim meus est orator Justinianus,  
 Viventis causam mortua lingua facit.

Non actore gravi, neque verbo paupere nitor,  
**1310** Arbitrator in toto maximus orbe fuit.

Dux populi victor munus quod quærit habeto.

Dux ego, victor ego, munera, quæro, date :  
 Sed quia muneribus vestri fungatur honoris

Rex idco vester, desinit esse suus.

Pono citus trabeam, vestrum citus exuo regem,  
 Liber et explicitus ad mea vota meus (88).

dem fuerit eventus hujus catastrophe, quod res ipsa postulabat, quodque lector quilibet jure desiderare poterat,